Quelle: https://manuscripta.at/?ID=37127
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



23

Tribulacoes cordis mei dilatate sunt de necessitibus meis eripe me domine. Vide humilitatem meam et laborem meum et dimitte omnia peccata mea. Tractus. Confitemini domino quoniam bonus quoniam in sempiternum misericordia eius. Quis loquetur potentias domini auditas faciet omnes laudes eius. Beati qui custodiunt iudicium et faciunt iustitiam in omni tempore. Memento mei domine in beneplacito populi tui visita nos in salutari tuo. Secundum matheum. In illo tempore assumsit iesus petrum et iacobum et iohannem fratrem eius et duxit illos in montem excelsum seorsum et transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius sicut sol vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuerunt eis moyses et helias loquentes cum eo. Respondens autem petrus dixit ad iesum. Domine bonum est nos hic esse si vis faciamus hic tria tabernacula tibi unum moysi unum et helie unum. Adhuc eo loquente ecce nubes lucida obumbravit eos: et ecce vox de nube dicens. Hic est filius meus dilectus: in quo mihi bene complacui ipsum audite. Et audientes discipuli ceciderunt in faciem et timuerunt valde. Et accessit iesus et tetigit eos dixitque eis surgite et nolite timere. Levantes autem oculos neminem viderunt nisi solum iesum. Et descendentibus illis de monte precepit iesus dicens nemini dixeritis visionem donec filius hominis a mortuis resurgat. Offertorium. Meditabor in mandatis tuis quia dilexi valde et levabo manus meas ad mandata tua quia dilexi. Secreta. Respiciens propitiabilis domine quesumus: ut et devotionem nostre proficiat et salutem. Per dominum. Communio. Intellige clamorem meum intende voci orationis mee rex meus et deus meus quoniam ad te orabo domine. Supplices te rogamus ac deprecamur: ut quos tuis reficis sacramentis: tibi etiam placitis moribus dignanter deservire concedas per. Feria sexta. Oratio. Prestanda quesumus domine ut sancta tua quam se affligendo carne ab alimentis abstinet: sectando iustitiam a culpa iejunet per. Secreta. Hec hostia domine placationis et laudis: tua nos purificatione dignos efficiat per. Postcommunio. Hec nos